Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26136
Copyright: Admont, Benediktinerstift

celos innouauit. mundum purificauit. paradysum aperuit. et hominum
animas ab inferis liberauit. O inquam uere gloriosa Maria humi-
litas que porta paradisi efficitur. scala celi constituitur. Facta
est certe humilitas Maria scala celestis. per quam deus descendit ad terras. Quia re-
spexit inquit humilitatem ancille sue. ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes
generationes. Et quid est dicere respexit. nisi approbauit. placuit ei humilitas
mea. Hinc per prophetam dominus dicit. Ad quem respiciam nisi ad pauperculum. et humilem.
et trementem sermones meos. Hinc ad dominum dicitur. Quia respexisti humilita-
tem meam saluam fecisti de necessitatibus animam meam. Multi siquidem uidentur
in conspectu hominum humiles esse. ut ab eis beatificentur. sed eorum humilitas
a domino non respicitur quia falso et non uere de humilitate gloriantur. Si enim ue-
raciter humiles essent dum ab hominibus. et non se uellent laudari. non in hoc
mundo eorum spiritus exultaret. sed in deo salutari humilitatem suam non ab homi-
nibus conspici. sed a deo expectarent. Sequitur in sancto cantico. Quia fecit mihi magna
qui potens est et sanctum nomen eius. Que tibi magna fecit queso gloriosa uirgo. ut
dici beata merearis. Puto enim immo ueraciter credo. ut creatura cre-
atorem ederes. famula dominum generares. ut per te deus mundum redimeret. per te
illuminaret. per te ad uitam reuocaret. Hucusque o uirgo beata de te ipsa
que nos ad amorem dei accenderent fideliter protulisti. ea uero que secuntur humano
generi prophetasti. Meum autem uoti extitit ea tantum inde transcurrere que
nominis | ad tui generis laudem pertinerent. Sed hec que de te ipsa narrasti. neque tu
ut dignitas tua meretur dicere potuisti. Quas ergo tibi laudes fragilitas huma-
ni generis persoluet. que solo tuo commercio recuperandi aditum inuenit. Accipe
itaque quascumque exiles quascumque meritis tuis impares gratiarum actiones. et cum
susceperis uota culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces. intra sacra-
reconciliationis | rium exauditionis. et reporta nobis exauditionis. Sit per te excusabile. quod
per te ingerimus. Accipe quod offerimus. impetra quod rogamus. excusa quod ti-
memus. quia nec potentiorem meritis inuenimus ad placandam iram iu-
dicis quam te que meruisti matrem existere eiusdem redemptoris et iudicis. Succurre
ergo miseris. iuua pusillanimes. refoue flebiles. ora pro populo. interueni pro clero.
intercede pro monachorum choro. exora pro deuoto femineo sexu. sentiant omnes
tuum leuamen. quicumque deuote celebrant tuam assumptionem. Sit tibi compassio
sup | semper afflictis. sit pius affectus super celorum peregrinis. et cum semper letantem aspicies.